

tum ad Sforciam venit. Is sub primum accessum per ca-
duceatorem, quem illi *Araldum* vocant, bellum Venetis
indixit. His copiis aucti hostes (erant enim in eorum ca-
stris cum appendicibus Gallorum equitum turmæ centum
ac viginti) ex Goido profecti, Mella fluvio superato, ad
Bassianum inter Manerbium & Pontem Vicum confedere.
Veneti & ipsi (venerant enim in castra Jacobus Antonius
Marcellus, & Paschalis Maripetrus legati) Manerbium
concessere: inde ad Porcianum castra translata sunt. Ho-
stis, Veneto decedente, Manerbium per deditionem rece-
pit: inde Sforcia ac Renatus Pontem Vicum adorti, ali-
quandiu oppugnatum, disiectis muris, vi cœperunt. Hic
Gallorum feritas in miseros oppidanos crudeliter debac-
chata dicitur. Ea res ita deterruit populorum animos, ut
omnia paucissimis diebus, quæ Veneti in Cremonensi &
in Brixienſi planitie habebant, præter Soncinum & Ro-
manengium, non expectato hostium adventu, ultro dedi-
tionem fecerint. Ad eam defectionem coactus Picininus
cedere, citato agmine Brixiam contendit, ac inter ur-
bem, montes & *Navigium* a Clesio amne derivatum, lo-
co munitissimo castra fecit, unde pedemontanos incolas,
& quicquid Brixienſis agri ad Benacum spectat, facile de-
fensurus videbatur. In hoc statu res Venetæ in Gallia
erant.

1452

Sed non solum præsentis belli periculum Patrum ani-
mos versabat, quin & jam antea de Byzantii oppugnatio-
ne solliciti erant. Tumultuose enim ex Græcia fuerat al-
latum, Maomethum Turcorum Regem cœpisse Byzantium
bello infestare. Ne igitur tam opportunus locus Christia-
no nomini adimeretur, quo adempto, apparebat Pontici
maris navigationem suis negociatoribus perpetuo occlusum
iri, decreverant Patres triremes decem ad ipsius urbis
præsidium, quarum penes Jacobum Lauretanum voluerunt
esse imperium. Statuerunt ad hæc, ut duæ cetheæ naves
fabricarentur, quarum utraque duum millium amphora-
rum esset. Nec ita multo post Lauretanus ipse cum quin-
que triremibus domo erat profectus, quum quinque alias

1453

Constanti-
nopolis a
Turcis ob-
sidetur.